

Jan Šprinc

Brno

QUID PLAUTUS IN LITTERIS BOHEMORUM
ET SLOVACORUM VALUERIT

A tempore, quo populus Bohemoslovacus e duabus nationibus — Bohemica et Slovaca — constans renatus est, evolutionem perpetiebatur et celerem et procellosam. Procedentibus duobus saeculis antiquitas afferebat magnum momentum ad culturam atque humanitatem Bohemorum et Slovacorum, valebat immo apud hos populos magis quam apud alios, velut si compensanda essent, quae tempore studiorum humanisticorum incepta quidem, sed bello triginta annorum et eius eventibus interrupta erant. Et contigit, ut id compensaretur: opera apud Bohemos et Slovacos instinctu antiquitatis confecta comparari possunt cum operibus aliorum populorum, quae etiam instinctu antiquitatis creata sunt et quae appellantur classica aut classicistica.

Antiquitas habebat magnam vim ad varia elementa culturae atque humanitatis in regionibus, quae nunc in Re publica socialistica Bohemoslovaca coniunctae sunt, praesertim ad linguam litterariam et ad litteras, quae translationibus ex linguis classicis peractis ditabantur. Poetae themata mythologica et historica pertractabant et formas carminum antiquorum, immo etiam prosodiam metricam imitabantur.

Quamquam a fine antiquitatis usque ad tempora, quibus Bohemi et Slovaci renascebantur, paene unum dimidiatumque millennium effluebat, litterae antiquitatis ad litteras Bohemorum et Slovacorum multum valebant. Quod fiebat nonnumquam directo et quidem tunc, cum discipuli linguas antiquas discebant, tunc, cum homines docti, poetae, philosophi opera litteraria classica in forma originali aut saltem in translationibus legebant. Alias auctores antiquitatis apud Bohemos et Slovacos multum valebant non directo, sed per opera litteraria temporum recentium, id est per opera moderna, ad quae antiquitas magnam vim habebat.

Tempore, quo Bohemi et Slovaci renascebantur (XVIII. saeculo exeunte), noti et minus noti auctores opera antiquitatis traducere conabantur, ut hoc modo confirmarent id, quod lingua Bohemica aut Slovaca quaelibet exprimere potest et quod par est linguis nationum, quae superius fastigium culturae atque humanitatis assecutae sunt. Traductiones aut in ephemeridibus contemporaneis publicabantur aut adiungebantur ad carmina originalia in lingua vernacula composita, quorum auctores erant ii, qui carmina auctorum classicorum traduxerunt.

Ab aevo medio usque ad dimidium XIX. saeculi in Europa occidentali lingua Latina existimabatur res principalis eruditionis superioris. A tempore humanismi

discipuli in scholis inferioribus grammaticam Latinam discebant, in scholis superioribus lectionem Latinam, artem poeticam, rhetoricam habebant. Magistri cum discipulis Latine loquebantur, quoad fieri poterat, et in universitate professores praelectiones Latinas agebant. In scaenam theatri scholaris saepe ludi antiqui inducebantur, quia secundum opinionem tunc regnantem discipuli linguam Latinam — linguam internationalem — facillime discebant, si in *industria dramatica* versabantur. Iuxta comoedias Terentianas in repertorio etiam comoediae Plautinae apparebant.¹

Novus humanismus linguam Graecam praeferebat, sed in schola lingua Latina semper dominabatur. Ad quod ecclesia catholica et traditio linguae Latinae ut linguae scientificae vim habebat. In Bohemia et Moravia Maria Theresia regnante scholae sub vi ordinum catholicorum, praesertim ordinis Iesuitici erant. Fundamentum scholarum Iesuitarum erat Ratio studiorum, quae anno 1586 et 1599 apparuit et quae ex humanismo exibat.² Etiam ordine Iesuitico a. 1773 dissoluta comoediae Plautinae legebantur in II. classe humanitaria gymnasii, quod secundum legem a Gratiano Marx propositam a. 1775 reformatum est.³

Etiam in Slovacia tunc linguae classicae docebantur et in scholis Latinis, quibus secundum Rationem studiorum Theresianam (a. 1777) tres classes inferiores et duae superiores continebantur, inter alia etiam comoediae Plautinae excerptae legebantur (et quidem in III. classe).

Venceslaus Fortunatus Durych, sodalis ordinis monachici (Paviani), saepe laudat auctores classicos in suis epistulis, quae ab Adolfo Patera a. 1895 (I. pars) editae sunt. Ubi alludit ad Philolachem, personam Mostellariae, comoediae Plautinae — et etiam ad verbum Plautinum *mantare*, frequentativum a verbo *manere* derivatum (p. 19).

Inter dramata, quae tempore renascentiae nationalis apparuerunt, invenitur drama *Tharsia de Tyro*, quo thema antiquitatis continetur et cuius auctor est Antonius Iosephus Zýma. Drama introductum est in scaenam in urbe Praga a. 1791 in aedificio, quod usque ad a. 1786 ad monasterium Hibernorum pertinuerat et quod posterius ad spectacula theatrale danda destinatum erat. Anno 1792 drama commemoratum typis impressum est. Cuius actio hauritur ex fabula Graeca posteriore, in qua de Apollonio, rege Tyrio, narratur et quae fortasse in II. aut III. saeculo p. Ch. n. composita est et quae postea in translatione Latina et tractatione abbreviata saeculis V. et VI. procedentibus vivebat. Iosephus Zýma suum drama ditavit scaenis, in quibus praedones et nautae ebrii apparent et quibus comoediae Plautinae commemorantur. Scilicet auctor mutationum non est Zýma, sed potius auctor cuiusdam ludi scaenici Germanici, quo Zýma nisus est.

Poetae circum Iosephum Jungmann (1773—1847) conglobati alebantur lacte antiquitatis et quidem antiquitatis, quae ab iis modo rococo aut praeromantico concipiebatur. Sed Jungmann ipse iam novo humanismo, immo romantismo affectus est. Ab anno 1779 notabat sibi in pugillaribus, qui in bibliotheca musei Nationalis (III F 24) depositi sunt, nova opera, quae ad litteras antiquitatis pertinebant et de quibus certior fiebat ephemerides Germanicas legens. Inter quae

¹ Cf. Miroslav Flodr, Die griechische und römische Literatur in tschechischen Bibliotheken im Mittelalter und Renaissance, Brno, Universita J. E. Purkyně 1966, p. 103 sqq. et in Indice nominum (Namenverzeichnis) s. v. Plautus. — Jaroslav Bartoš et al., Dějiny českého divadla, I, Academia, Praha 1968, p. 27, 101, 103, 104, 110, 112, 113, 114, 134, 135, 171. — Dějiny české literatury, I, Nakl. ČSAV, Praha 1959, p. 297, 333, 342, 343.

² Scilicet Ratio studiorum, quae in Monumentis Germaniae paedagogicis V typis impressa est.

³ Lex in Mon. Ger. paed. XXX, p. 229 sq. typis impressa est.

opera ab eo notata inveniebatur opus Plautinum, quod tunc J. Kuffner transtulit et publicavit (a. 1807).

Iosephus Liboslaus Ziegler, sacerdos et educator et assectator illuminismi (1782—1846), qui ipse auctores antiquos transferebat, invitavit scriptores Bohemicos, ut auctores classicos traducerent. Multi ei responderunt ea re, quod diligenter auctores transferebant. A. 1821 apparuit in ephemeride intitulata *Hyllos*⁴ translatio prosaica Aululariae, comoediae Plautinae, quae ab Ioanne Teichl (1781—1830), canonico et direttore seminarii (in urbe Reginae Hradecio), peracta est. Agitur de prima et diu unica translatione Bohemica comoediae Plautinae et omnino Romanae. Praeter aliquot versus tota comoedia in linguam Bohemicam translata est et quidem etiam cum supplemento haud originali, quae in editione Francogallica⁵ invenitur. In codicibus manu scriptis finis Aululariae deest (non mansit incolumis). Translatio est fidelis et vivida.

Ioannes Kollár (1783—1852), qui erat assectator novi humanismi et ardore antiquitatis flagrabat, apud Gellium legebat de Plauto, ut nocte mercennarius in diem conductus laborare debebat, ut sibi victum compararet. Kollár libro perlecto in silvam currebat et sub arbore de fortuna tristi discipulorum pauperum flebat.

Venceslaus Cl. Klicpera in una ex suis comoediis vetustioribus (*Bělouši*) Amphitruonem Plautinum imitatus est. Secundum auctoris propria verba in mente eius accendit primam scintillam Amphitruo Plautinus et praesertim servus Sosia, qui in comoedia intitulata *Amphitruo* apparet, et nequaquam comoedia Germanica, ut multi cogitabant. Non iit consultatum cum pronepte, cum aditum commodum, ut ipse dixit⁶, ad proaviam habebat. Comoedia Plautina profecto dedit Venceslao Cl. Klicpera solum „scintillam“, permutationem personarum — dominus existimatur auriga et auriga habetur pro domino — et figuram servi loquacis. Aliter actio est prorsus nova, independens. Fabula in castello Bohemico agitur, sed actores scaenici de legibus Solonis⁷, de Lethe⁸, de Iove Amphitruoneque⁹ loquuntur.

In praefatione (p. 3), quae ad comoediam *Hadrián z Římsů* intitulatam adiuncta est et quae in urbe Hradecio Reginae a. 1822 apparuit, Klicpera scribit se in tribus ludis¹⁰ usum esse permutatione personarum aut, ut ipse dicit, *kuklení*, id est cucullatione, nam actores cucullati sive personati in scaena apparent. Sed etiam magis ex „cucullatione“ fructum cepit in ludo scaenico *Dvojčata* intitulato (1825), qui posterius sub titulo *Bratři v Archangelsku* retractatus est. Secundum opinionem ipsius auctoris¹¹ ludus commemoratus est similis Menaechmis Plautinis et „Comoediae plenae erroribus“ illustris auctoris Anglici Shakespeare, sed corpore et spiritu est originalis. Cum illi duo ludi in scaenam induci bene non possint, quia personae iam non usurpantur et quia duo actores scaenici numquam satis sibi similes sunt, in ludo Klicperiano gemini ab unico actore representantur. Parva similitudo, quae inter ludum Klicperianum et ludum *Ménéchmes*, ab auctore Francogallico Regnard a. 1770 publicatum, reperta est¹², potest putari fortuita.

⁴ Jan Teichl, Marka Akcia Plauta veselohra o pokladu (k tisku podal Jos. L. Ziegler): *Hyllos* 1, 1821, p. 185—206.

⁵ Agitur de editione, quam Jean Philippe Waengler, Pareus appellatus, a. 1610 publicavit.

⁶ Václav Kliment Klicpera, *Bělouši*, Hradec Králové (tiskem Jana Fr. Host. Pospíšila) 1821, praefatio, p. 3.

⁷ *Bělouši*, 61.

⁸ *Ibid.*, 76.

⁹ *Ibid.*, p. 88.

¹⁰ *Bělouši* (1821), *Hadrián z Římsů* (1822), *Tři hrabata najednou* (1828).

¹¹ Opinio expressa est in praefatione adiuncta ad editionem comoediae *Dvojčata*, quae in urbe Hradecio Reginae (Hradec Králové) a. 1825 apparuit.

¹² Cf. P. M. Haškovec, Klicperová dramatická báseň „Dvojčata“ a francouzská komedie klasická: *ČMF* 1, 1911, p. 247 sqq.

Fabula ludi scaenici *Dvojčata* temporibus recentibus in urbe Archangelopoli agitur. Ubi conveniunt duo fratres, qui inde ab incunabulis separati a se sunt, et quandam virginem petunt. Quorum similitudine multae scaenae hilares pariter atque apud Plautum (et etiam apud poetam Shakespeare) oriuntur. Unus ex fratribus, Fedor, qui in Bohemia educatus est, loquitur de Nereidibus, quae ex Iliade¹³ notae sunt, de valle Thessalica quae Tempe appellatur, de dea Flora, de Pindaro et per „omnes deas Graecas et Romanas“¹⁴ iurat, cum Solmonov, mercator Russicus, vocet „Umbras Elysias“¹⁵. Et cum comoedia antiqua etiam cohaeret — scilicet solum indirecto — motivum fundamentale comoediae Bohemicae¹⁶; id est motivum, quod consistit in ea re, quod fratres, qui a pueritia separati sunt, iterum conveniunt.

Jaroslav Langer (1806—1846) effecit, ut eius notitia operum dramaticorum, quae in gymnasio in urbe Reginae Hradecio et quidem apud professorem Iosephum Chmela et Venceslaum Cl. Klicpera obtinuit, potius ioco quam serio valeret, scilicet in annotationibus, quae ad codicem manu scriptum et *Bohdanecký rukopis* appellatum pertinent¹⁷. Ubi affert verba amantis Charini, id est personae, quae in Mercatore Plautino, v. 859 sq., apparet: „Neque ulla mihi obstat amnis“ ... et facete Plautum verbis Bohemicis imitatur: „Oh, já nešťastný kocourek! Co se tě nahledám, potěšení moje! Každou komůrku, každou díрку prolízám, ale žel! nikde tě vypátrati nemohu ...“ Qua occasione oblata facit mentionem eius rei, quod notitia linguae Latinae pertinet ad eam partem eius animi, quae infirma est, et quod quodam vocabulario antiquo ei utendum erat¹⁸, si illos versus transferre volebat.

Venceslaus B. Nebeský Captivos Plauti¹⁹ traduxit. Ad comoediam Plautinam adductus est, ut ipse commemorat²⁰, iudicio collaudanti Gottholdi Eph. Lessing, auctoris Germanici, qui ipse Plautum imitabatur et eum magni aestimabat, e. g. comoediam Captivos habebat pro ludo scaenico pulcherrimo omnium, qui omnino in scaenam inducti sunt²¹. Comoedia commemorata in linguam Bohemicam a Venceslao B. Nebeský accurate et profecto poetice translata est. Versus senarios Nebeský similibus versibus accentuatis imitatus est et ceteros versus trochaeis et iambis accentuatis permutavit. Facete imitatus est etiam lusum verborum (adnominationes) Plauti, e. g. Pleníci, 160—164:

... nejprve ti vojska z Peček
a těchto z Peček některá jsou plemena:
je Chlebovských ti třeba a pak Koláčských,
je třeba Holubických a též Drozdovských,
pak třeba ti všech druhů vojska mořského ... (p. 13)

In annotationibus, quae ad traductionem adjunctae sunt, Nebeský de vita Plauti, de eius opere, exemplis stiloque narrabat. Comoedias Plautinas comparabat cum picturis muralibus, quae Italice *freschi* appellantur, et ex contrario comoedias Terentianas cum tabellis minoribus subtilibus (miniaturis quae vocan-

¹³ Hom. II. XVIII, 39 sq.

¹⁴ V. Kl. Klicpera, *Dvojčata*, Hradec Králové 1825, p. 47: „u všech řeckých i římských bohů“.

¹⁵ Ibid., p. 78: „duchové elyzejští“.

¹⁶ Cf. Josef Jungmann, *Slovesnost*, Praha 1820, p. 99 sq.

¹⁷ Josef Jaroslav Langer, *Bohdanecký rukopis*; ČCM 5, 1831, p. 10 sq.

¹⁸ Ibid., 5, 1831, p. 16.

¹⁹ Václav Bolemír Nebeský, *Pleníci (Captivi)*, komoedie Plautova, Praha 1873.

²⁰ Ibid., p. 89 sp.

²¹ G. E. Lessing, *Sämtliche Schriften*, Wien 1880, Bd. 4, p. 83.

tur)²², sed Plauto et Terentio et eorum exemplis Graecis faciebat superiorem Aristophanem et propter imaginationem vividiorum et propter meliorem nucleum ethicum²³. Qua de causa cum novis humanistis et etiam cum romanticis qui dicuntur consentiebat. In suis explicationibus, quae ad Plautum pertinebant, invocabat testes — iuxta Gottholdum Eph. Lessing etiam Fridericum Ritschl, investigatorem magni momenti, qui de Plauto plurimum meritus est, et alios homines doctos.²⁴

Theodorus Lazar (1834—1886), qui erat discipulus Ioannis Kvíčala, clari philologi classici, comoediam Plautinam Trinumnum comparavit cum comoedia, quae imitatione Trinummi efficta est, id est cum Thesauro, comoedia Gottholdi Ephr. Lessing,²⁵ et generatim de Plauto tractavit.²⁶

Pro theatro dramático Vindobonensi (Burgtheater) Adalbertus Hynais, pictor Bohemicus, in quattuor lunulis (lunettis), quae in lacunaribus theatri invenuntur, poetas dramaticos ab Aeschylo usque ad Franciscum Grillparzer a. 1887 pinxit. Poetae antiquitatis — inter eos etiam Plautus — conglobati et vestibus antiquis induti sunt, sed eorum ora sunt moderna, prorsus modo realistico concepta. Cuius picturae adumbratio (schizzo) in pinacotheca nationali Pragensis invenitur.

In interpretatione Plauti et in textologia ad opus Plautinum pertinenti versabatur Iosephus Šebor (1847—1928), philologus Bohemicus, qui in Russia efficax erat.²⁷ Cuius emendationes autem erant nonnumquam supervacaneae sicut emendationes multorum eius aequalium, e. g. expressio *parata navi* (Merc. 87), ab Iosepho Šebor in *pater atque navi* mutata est.²⁸ Šebor scripsit etiam recensiones ampliores translationum, e. g. translationis Menaechorum, quam Cholodnjak peregit,²⁹ aut translationis Aululariae, cuius auctor erat Fet.³⁰

Verba Graeca apud Plautum apparentia illustravit, quod ad phonologiam et semasiologiam attinet, Carolus Himer³¹, ad textum Militis gloriosi explicandum contribuit J. L. Čapek³², fragmenta Vidulariae Schenk examinavit et transtulit³³ et secundum allusiones, quae in comoediis Plautinis factae sunt et quae ad certos eventus historicos attinent, F. Hoffmeister determinabat tempus, quo comoediae Plautinae apparuerunt.³⁴ Praeterea quasi in membra discerpit et ex-

²² Václav Nebeský, op. cit., p. 101 sq.

²³ Idem, Bratři (Adelphi), komoedie Terentiova, Praha 1871, p. 106 sq.

²⁴ Cf. Zdeněk K. Vysoký, Václav Bolemlr Nebeský jako překladaatel Aischyla: SPFFBU, E 14, 1969, p. 235—248.

²⁵ Theodor Lazar, Der Trinumnum des Plautus und seine Nachbildung durch Lessing: Vyr. zpráva gymn. Znojmo 1865, p. 3—31.

²⁶ Idem, T. Maccia Plauta římská komedie: Vyr. zpráva gymn. Brno 1869—70, p. 1—34.

²⁷ Opera eius publicata sunt in ephemeridibus ŽMNP (Žurnal ministerstva narodnago prosvěščenija) et Filologičeskoje obozrenije.

²⁸ O. Šebor, Několyko kritičeskich zametok k Plavtu: ŽMNP, 234, 1884, p. 33. — Idem, K Plavtu: ŽMNP 274, 1891, 33—44. — Idem, Kritičeskije zametki: ŽMNP 277, 1891, 77—84, 1—7.

²⁹ Idem, „Menaechmi“ Plavta v ruskom perevode g. I. Cholodnjaka: ŽMNP 261, 1889, p. 37—72.

³⁰ Idem, Filologičeskoje obozrenije 1, 1891, p. 57 sqq.

³¹ Karel Himer, Řecká slova v palliátách Plautových: Vyr. zpráva gymn. Praha III 1895/6, p. 3—23.

³² Jan Lad. Čapek, Kritické poznámky k Plautově komoedii Miles gloriosus: ČMF 8, 1902, p. 372—377, 463—464; ibid. 9, 1903, p. 113—117.

³³ Rudolf Schenk, O Plautově Vidularii: Vyr. zpráva gymn. Zábřeh 1899/1900, p. 3—42.

³⁴ Ferd. Hoffmeister, Přispěvek k datování komoedií Plautových: Vyr. zpráva gymn. Tábor 1902/3, p. 3—29; idem, Přispěvky k chronologii komoedií Plautových: LF 30, 1903, p. 161—172.

plicavit Hoffmeistr nuntios antiquitatis, qui ad inscaenationem spectaculorum theatralium Plautinorum attinent.³⁵

Etiam philologus Franciscus Groh (1863—1940) in Plauto versabatur et quidem in suis primitiis philologicis, quas a. 1889 et 1892 in ephemeride *Listy filologické* publicavit. Ad quod incitatus est interpretationibus Iosephi Král, quae ad comoediam Romanam attinebant. In prima commentatione³⁶ tractabat de ea re, quo modo versus singulis personis in Casina Plautina³⁷ attributi essent, in secunda commentatione³⁸ cogitabat de ea re, quae ratio comoediis Plautinis cum exemplaribus Graecis intercederet, et argumentis probare conabatur id, quod comoediae Graecae a poeta Romano libere tractabantur. Secundum opinionem Francisci Groh Plautus exempla Graeca reddebat breviora, contaminabat (id est e. g. duas comoedias in unam confundebat), characteres et nomina personarum mutabat etc.

In ultimis decenniis, quae primum bellum mundanum praecedebant, apud Bohemos et Slovacos ad fastigium pervenit non solum labor specialis philologicus et institutio linguarum antiquarum, sed etiam actio translatória — ex lingua Latina in linguam Bohemicam aut Slovacam peragenda — erat in flore. Opera iam pridem in linguam Bohemicam translata denuo transferebantur. Ad quae accedebant multa nova opera, quae nondum in versione Bohemica apparuerant et quae ne in scholis quidem legebantur. Opera plerumque accurate transferebantur — translatores solebant esse philologi — et tamen nequaquam modo servili. De qua re plurimum meritis est Iosephus Král et suis propriis translationibus et suis revisionibus criticis et considerationibus, quae ad prosodiam pertinebant, sed ad id vim habebant etiam poetae circum ephemeridem *Lumír* conglobati et eorum successores, qui ad sermonem poeticum Bohemicum ditandum magnopere contribuerunt.

Iosephus Král (1853—1917) publicavit a. 1883 commentationem³⁹, in qua argumentis probare conabatur id, quod temporibus antiquitatis Asinaria Plautina retractata est, ut deno in scaenam induceretur. Quo in labore, qui ex eius praelectionibus in universitate Carolina habitis effluebat, Král non perseverabat, solum a. 1890 Menaechmos in linguam Bohemicam transtulit. Qui ludus scaenicus dabatur a. 1890 in theatro Nationali Pragensi, director scaenae erat Seifert. Partes geminorum ab actoribus Sedláček et Seifert agebantur, partes meretricis agebat Laudová et partes servi Mošna. Denuo ludus commemoratus in scaenam inductus est a. 1911 (in vico Pragensi Vinohrady).

Ioannes Ladislaus Čapek a. 1904 Mostellariam, a. 1907 Pseudolum, a. 1914 Militem gloriosum in linguam Bohemicam transtulit. Čapek sollerter traducebat prosodia tonica utens, sed metra lyrica exemplaris originalis non imitabatur. Locos ex comoediis Plautinis excerptos Rudolfus Schenk interpretatus est et quidem secundum praecepta Iosephi Král.⁴⁰

Poeta O. Fischer composuit comoediam *Jupiter*, cuius thema ex Amphitruone Plautino haustum est et quod ab auctore Bohemico pronum capite in terram statutum est. Cum in comoedia Plautina mortales et mulieres dis et viris sint

³⁵ Idem, *Nástin literárních pramenů k dějinám římského divadla a hry ve starém Římě: Výr. zpráva gymn. Minerva, Praha 1912/13, p. 3—28.*

³⁶ Fr. Groh, *Ad Plauti Casinam; LF 16, 1889, p. 340 sq.*

³⁷ *Plaut. Cas. 379 sqq.*

³⁸ Fr. Groh, *Quomodo Plautus in comoediis componendis poetas Graecos secutus sit; LF 19, 1892, p. 1—16, 161—172, 337—349.*

³⁹ Jos. Král, *De Asinariae Plautinae lacunis; LF 10, 1883, 161—169.*

⁴⁰ Rudolf Schenk, *Postavy a výjevy z antického života [překlady]: Výr. zpráva gymn. Zábřeh 1905/6, p. 3—29; idem, Ukázka překladu z Plautovy komedie „Rudens“: Králův sborník, Praha 1913, p. 297—302.*

risui, in comoedia auctoris Bohemici di et viri mortalibus et mulieribus sunt risui Actio facete excogitata est: Iuppiter desiderio Alcmenae flagrat et in absentia eius mariti iterum ad eam descendere vult, sed de eius consilio incepto comperit Iuno, in locum Alcmenae succedit et prius quam Iuppiter ad eam venit Amphitruo, maritus Alcmenae. Amphitruo amplexum Iunonis accipit et ea re simul etiam satisfactionem pro ea re, quod antea a Iove deceptus est. Comoedia in versibus, qui extremis syllabis consonant, composita est.

Thema ex Amphitruone Plautino sumpserunt mutuam etiam Georgius Voskovec et Ioannes Werich et quidem in comoedia, quae *Nebe na zemi* (Caelum in terris) appellatur. Primum comoedia inducta est in scaenam theatri, quod *Osvobozené divadlo* appellabatur, et quidem die 23. IX. 1936. In forma libri comoedia eodem anno in domo editoria Borový in urbe Praga apparuit. In comoedia themate antiquo commemorato coniuncta sunt duo motiva dramatica sumpta ex comoedia Anglica, quae a Francisco Beaumont (1584—1616) et ab Ioanne Fletcher (1579—1625) composita est. Auctores Bohemici actionem ludi scaenici Anglici ex Corduba Hispanica in mundum antiquo-barocum transtulerunt. In comoedia Anglica conflictus dramaticus in duabus causis positus est. Prima causa constat in ea re, quod Don Juan pugnat de heredio, quod ut heres legitimus acquirere debet (agitur de heredio, quod eius frater reliquit). Secunda causa conflictus consistit in ea re, quod amicus domini Juan pulchram uxorem notarii petit. Uterque conflictus est coniunctus libere personis sacerdotis et aeditui et notarii, qui fungitur munere advocati in causa hereditii, quod frater domini Juan reliquit. Voskovec et Werich in locum amatoris substituerunt Iovem, qui formam mortalis heredis legitimi (Camilio) sumit. De ratione, quae huic comoediae cum Plauto intercedit, Eva Stehlíková scripsit.⁴¹

Omnia, quae commemoravimus, sunt testimonio eius rei, quod Plautus in cultura atque humanitate Bohemorum et Slovaccorum adhuc magnopere valet.⁴²

⁴¹ E. Stehlíková, Trojí setkání české dramatické tvorby s Plautem: AUC Graecolatina Pragensia 3, 1966, p. 95—115.

⁴² Aululariam post Ioannem Teichl iterum in linguam Bohemicam transtulit Jan Šprincel (*Aulularia*, Praha 1956). — Menaechos et Mercatorem et Militem gloriosum vertit Ferdinand Steibitz (translationes typis impressae non sunt, solum in scaenam inducebantur). — Militem gloriosum in linguam Bohemicam vertit denuo Vladimír Šrámek (*Thukuba*, Praha 1953), in linguam Slovaccam Ignác Šafár (*Chvastúň*, Bratislava 1962). — Mostellariam post Ioannem L. Čapek iterum transtulit Klára Pražáková (*Komedie o strašidle*, Praha 1926), denuo Jaroslav Pokorný (*Komedie o strašidle*, Praha 1960). — Pseudolum post Ioannem L. Čapek iterum traduxit Vladimír Šrámek (*Likák Pseudolus*, Praha 1946). — Brevi tempore omnes comoediae Plautinae in nova translatione Bohemica apparere debent.

